



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Præbendis & dignitatibus. Consilium CCXXXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

bus, non videtur accommodari posse parochiali in alia civitate, seu loco etiam in eadem diocesi sito, hoc est in proposito in oppido Weertensi; ideoque nobis probabilius videatur hunc casum propositum, & ex illo moras quaestiones decidendas esse ex anteriore constitutione Ioannis XXII. cui, ut superius diximus, non subjacent simplices Canonici etiam in Cathedrali Ecclesia, nec dignitatem, nec jurisdictionem aut administrationem habentes, *Navarrus d. conf. 34. De praben.* Quod etiam referri posse videtur supradictae congregationis illa interpretatio ac decisio, quae incipit, *Obtinuit Canonici & prabendam &c.* ut Domino Iacobo liceat, imò debeat sine periculo amittendi Canonici, residere in parochiali Weertensi, sed bene cum periculo amittendi distributiones quotidianas, eaque omnia, quae iusta de causa absentes non perciperent. De quo minor in proposito debet esse dubitatio, quod (ut proponitur) D. Iacobus absentiam petierit, etiam cum amissione omnium fructuum. Sic quod Capitulum Cathedralis Ecclesiae Ruremundensis illam ei honeste aut probabiliter denegare non possit, aut illum ad spatium triennij sic concludere, ut non liceat ante finem triennij ad Canoniciatum residentiamque in illo redire, detestata parochiali Weertensi.

ADDITIO

Post redditum hoc consilium supervenerunt aliae aliquot decisiones Congregationis Illustrissimorum Dominorum Cardinalium sacri Concilij Tridentini Interpretum; quae cum ad illustrationem responsi istius faciente, & sub signatura ac sigillo Illustr. Hieronymi Cardinalis Matthaei dicantur emissae, hic subiiciuntur. *

5. *An duo Canonici de iure in vim sacri Concilij Tridentini decretorum sint incompatibiles? Congregatio respondit esse incompatibiles, arg. cap. 4. sess. 7. de reformat. & c. 17. sess. 24. de reformat.*

An per affectionem secundae Canonici ipso iure vacet primus? Congregatio censuit post adeptam pacificam possessionem secundum, primum ipso iure vacare, d. c. 4. sess. 7. c. de multa De praben.

An si, qui duos Canonici simul absque dispensatione Apostolica per triennium & ultra detinet, utraque ipso iure exadat in vim duorum decretorum Concilij Tridentini? Congregatio iudicavit, si duos huiusmodi Canonici simul retinere perrexerit, utroque esse ipso iure privatum ex decreto Concilij Tridentini, d. sess. 7. c. 4. & d. sess. 24. c. 17.

An utriusque Canonici possessionem tueri & defendere valeat possessor ex regula de terminali? Congregatio respondit utrique non posse, arg. eorumque tradita Lud. Gomez. ad reg. de triennali quæst. 10.

De Prabendis & dignitatibus

S V M M A R I U M

Incompatibilitas ex forma gratiae
 Collatio prabendae à papa facta cum decreto dimittendi beneficium prius obtentum.
 3. 3. Cap. Si tibi concessio De prabend. lib. 6. in collectus.
 2. 9. Possessio beneficij pacifica quae sit.

4. Incompatibilitas beneficiorum qualem vacationem inducat.

5. Condicio ad unguem adimplenda.

6. Paria sunt aliquem quid obtinere, & per eum stare quo minus.

7. Possessio beneficij an ex nuda signatura acquiratur.

8. Annus gratiae cui debeat.

CONSILIVM CCXXXIV.

SANCTISSIMVS Dominus noster Sixtus Papa Quintus, per suam signaturam Emanueli Trognasio Canonico Cathedralis Ecclesiae Antwerpensis in urbe Romana

ob haereticorum impressionem profugo, & à dicto suo Canonatu absenti, & sic ex eo nihil percipienti, ut commodè vivere posset, mense Maio anni 1585. contulit Canoniciatum & prabendam collegiatam Ecclesiae S. Martini Leodienfis, sub conditione & addito decreto, quod ipse Emanuel infra duos menses à die habitae per eum dictorum Canoniciatus & prabendae S. Martini possessionis, aut per eum staret, quo minus allequeretur, Canoniciatum & prabendam Antwerpensem in manibus suae Sanctitatis, & non aliis dimittere teneretur; alioqui ambo Canoniciatus eo ipso vacarent. Hac collatione obventa Emanuel per dictam nudam signaturam, nullis alijs literis desuper expeditis, Capitulo S. Martini intimavit; quae intimatione facta toto seculi anno Emanuel tacuit, nec literas suae collationis in forma expediti curaverit, neque ullam diligentiam adipiscendae possessionis apud Capitulum fecit; cum tamen illa interea semper vacua fuerit, nullo in dictos Canoniciatum & prabendam intruso. Quo intellexit Iacobus Peranus dictos Canoniciatum & prabendam S. Martini tamquam per defectum dimissionis Canoniciatus & prabendae Antwerpensis in manibus suae Sanctitatis vacantes, sibi per Sedem Apostolicam conferri obtinuit, literisque desuper expediti fecit, ac possessionem earundem adeptus est. Emanuel huic se opponit, contendens se non fuisse obligatum ad dimittendum Canoniciatum Antwerpensem, ex eo, quod non potuerit pervenire ad perceptionem fructuum prabendae S. Martini, ex ea causa, quod per Sedem Apostolicam dicto Capitulo specialiter reservati fuerint certorum ex tunc proximè vacaturorum Canoniciatum fructus pro quatuor annis, ad solvenda dictae Ecclesiae debita; ex dispositione & ratione iuris communis, cap. Si tibi concessio ne prab. lib. 6. intelligendo conditionem seu decretum de plena & utili possessione, cum emolumento omnium fructuum, qualem se assequi non potuisse dicit durante facta reservatione fructuum; ob quam etiam existimat se obligatum non fuisse ad faciendum aliquas diligencias adipiscendae possessionis, & ne quidem expeditionis litterarum; neque praesumendum esse eam fuisse Pontificis voluntatem, quod voluerit Emanuel à se abdicare Canoniciatum Antwerpensem, ex quo fructus perciperet seu percipere poterat, quamdiu in ea conditione non esset Canoniciatus S. Martini, ut inde liberè fructus quoque percipere posset. Quaritur, an praefati Emanuelis haec adversus Iacobum oppositio & contradictio sit in iure fundata? Decisa videtur haec quaestio ex traditione Ioannis Moenchii,

nachi, in *c. Si tibi concessio De praben. lib. 6.* quam sequuntur & probant Ioannes Andreæ, Petrus Ancharan. & Philippus Francus, in *d. c. Si tibi concessio*, quod collatio Canonici & præbendæ in certa Ecclesia à Papa facta ei, qui in alia Ecclesia alium Canonatum obtinet, sub conditione, modo, seu dispositione, quod acquisitâ possessione secundo loco sic collati Canonici, prius obtentus ipso iure vacet, non censeatur prior vacare, nisi ex plenissima possessionis acquisitione; hoc est illa, per quam sic provisos possit statim consequi fructus huius Canonici vel omnino omnes, vel maiorem partem illorum; ex ratione Bonifacianæ constitutionis, in *d. c. Si tibi concessio*, quâ constitutum est, per adeptionem posterioris incompatibilis beneficii non induci vacationem prioris, quod cum posteriore obtineri & retineri non potest, *c. De multa De praben. c. Execrabili De praben. in Extravag. Ioannis xx. l. si & quamdum ex aliquo impedimento ex posteriore fructus percipi non possunt.*

2 Cum enim fructuum perceptio sit præcipuus actus apprehensæ possessionis; *l. Quamvis §. 1. de acquir. posses. & is demum verè rem possidere intelligatur, qui nactus est eam possessionem, quæ producat præsentem acquisitionem fructuum, Archidiacon. & alij in d. c. Si tibi concessio, Franc. Aret. in Rubr. De acquir. poss. nu. 4. fit, ut non videatur vel intelligatur possessionem beneficii adeptus, qui fructus illius percipere non potest, Pet. Anchar. conf. 328. Circa istam perceptionem, Lud. Rom. conf. 335. Circa primum nu. 4. Ioan. Staphil. De liter. gratia tit. De qualib. & statu benef. §. ult. nu. 12. Decius conf. 312. Licet hæcenus, Vique adeò, ut non sufficiat aliqualis fructuum perceptio, si modò non est de maiore seu potiore parte fructuum; ideoque sola potestas percipiendi quotidianas distributiones, funeralia, aliaque accidentaria, non facit, ut pacificam possessionem beneficii, qualem hic desideramus, habere dicatur, gl. in *V. pacificam in c. Commissa De elect. lib. 6. dominic. Gemin. conf. 78. Formantur ista nu. 5. in fine*; etiam si aliqui pacificam possessionem beneficii quoad alia censeatur, quæ sine lite habetur, vel quæ per se vacua est, Paul. Cast. conf. 265. In primo vol. 2. Ita ut in rei veritate ex adeptione posterioris Canonici ipso iure inducta non fuerit vacatio prioris, propter accessionem incompatibilis ad aliud incompatible, *d. cap. De multa*; vel etiam posterioris, propter conditionem huic posteriori collationi adjectam non impletam; cum adeptæ possessionis effectus suspendatur per impedimentum circa perceptionem fructuum, Ioan. And. in *d. cap. Si tibi concessio & ibi Phil. Franc. nu. 2.* ne si plena vacatio constituat in alterutro, beneficiarius in opprobrium Ecclesiæ mendicare cogatur quod ius abominatur, *c. Cum secundum De praben. Anchar. in d. c. Si tibi concessio.**

Quia igitur durante anno, quem vocant gratiæ; item illo, qui passim ex statuto fabricæ deputatur; item illis, quorum fructus pro solvendis debitis Ecclesiæ reservati sunt, Emanuel non potuit pervenire ad perceptionem fructuum præbendæ Canonici S. Martini; non videtur inducta vacatio, nec utriusque nec alterutrius horum duorum Canoniarum: ita ut præmatura videatur impetratio, quam Iacobus obtinuit de Canoni-

cato S. Martini tamquam ex defectu impleta conditionis, sub qua Emanuel collatus erat, ipso iure vacante; præsertim quia in potestate Emanuelis non fuerit, ullo modo efficere, ut duranti- bus illis annis perveniret ad fructuum realem perceptionem. Perstringunt sanè istæ rationes Iacobum, & fortiter asserere ac sustinere videntur ius præfati Emanuelis, ut præmatura videatur Iacobi impetratio facta durante tempore, quo Emanuel ne quidem adhibita omni possibili diligentia potuisset pervenire ad plenam possessionem Canonici & præbendæ S. Martini; ideoque nec hoc dici posse videatur, quod per eum steterit, quominus perveniret ad illius realem possessionem; nec ex altera parte evenisse conditionem vacationis utriusque Canonici, tam Antuerpiensis, quam S. Martini.

Cæterum propius advertendo ad terminos propo- 3
positi casus, manifestè deprehenditur, illos longius recedere à decisione tam dictæ Bonifacianæ constitutionis, *d. c. Si tibi concessio*, quam traditionis, quam ex ea faciunt Ioannes Monachus & qui eum in eo sequuntur: quippe forma, quam Papa huic suæ collationi specialiter, & ultra terminos juris præscripsit, & pœna, quam illam ad unguem non observanti infligit, arctiore, & periculosiore loco constituit dictum Emanuellem. *l. Ius com- 4*
mune necessitatem resignandi non imponit secundum beneficium incompatible acquirenti, imò illius facultatem non permittit; sed ipso iure per assecutionem posterioris inducitur prioris vacatio, non ad commodum Papæ semper, sed etiam ad cuiuscumque ordinarij Collatoris, ad quem prioris beneficii collatio pertinet, *d. cap. De multa.* In hac præscripta abdicationis, de qua quaeritur, forma, necessitas resignationis in conditione ponitur; & quidem non ad manus ordinarij Collatoris, sed ipsius Papæ: in qua præscripta forma ex omiffa resignatione prioris intra præscriptos duos menses, inducitur tam posterioris quam prioris vacatio; cum in communi juris dispositione, ex eo accumulata incompatibilium acceptatione, inducatur dumtaxat prioris, non etiam posterioris vacatio, *d. c. De multa*; præterquam in execrata seu execrabili accumulatione, in qua utriusque non adeptio, sed de facto retentio inducit utriusque vacationem, *d. Extravag. Execrabili.*

Cum itaque Papa providerit Emanueli sub conditione faciendæ intra duos menses à die habitæ possessionis, resignationis seu dimissionis Canonici Antuerpiensis ad manus ipsius Papæ, addito decreto vacationis utriusque Canonici, si id non faceret, ad unguem conditioni & præscripto parendum fuit. * Ut regulariter & generaliter in quocumque actu addita seu præscripta conditio ad corticem verborum præcisè & ad unguem & in specifica forma, ut ajunt, observanda est, *l. Marini l. Qui heredi §. fin. de condit. & demonst. adeò ut quamvis aliàs ex æquipollentium ratione alterum pro altero substitui vel fieri possit, l. Si mater C. De iustit. & substit. non possit tamen quando sic per modum conditionis aut formæ quid præscriptum est, Nicol. Everard. præses in loco ab æquipollentibus.* Debebat itaque Emanuel hanc resignationem facere ad manus Papæ, & non faciendo ex dicto decreto

decreto incidit in pœnam vacationis, si non utriusque, saltem dicti posterioris Canoniciatus, quasi hunc planè non assecutus, propter defectum dictæ resignationis. Quod enim sic sub conditione conceditur, non pertinet ad eum, cui conceditur, ante conditionis eventum, l. si ita scriptum sit §. 1. De leg. 2. l. si qui fundum in sine de contrah. emp.

6 Et quamvis hanc resignationem seu dimissionem facere Emanuel non tenebatur, nisi intra duos menses à die habitæ possessionis Canoniciatus S. Martini; hoc tamen additum quoque est, ut si per eum stare, quo minùs possessionem assequeretur, in eodem vacationis periculo esset: ut regulariter eodem loco sunt, aliquem quid obtinere, & per eum stare, quo minùs obtineat, c. licet Episcopus de preben lib. 6. c. commissaria vers. annus de elect. lib. 6. l. in iure civili de reg. iur. l. si cui §. iam diu p. Ex quib. caus. maiores &c. Iam verò res ipsa demonstrat, per dictum Emanuelem stetit, quo minùs possessionem dicti Canoniciatus S. Martini habuerit, qui ad adipiscendam possessionem nihil omnino egit, & ne quidem illius præparamenta, eaque quæ non obstante dicta fructuum temporali reservatione sine ullius vel personæ vel facti impedimento facere poterat, sine quibus nullus progressus ad obtinendam possessionem quamcumque fieri poterat; hoc est, quod nec procuraverit expeditionem Bullarum super hac provisione, sine quibus nec Capitulum S. Martini, nec quemquam alium compellere poterat ad tradendum sibi possessionem huius Canoniciatus, vel ad aperiendum viam ad illam, per regulam cancell. de non iudican. iux. for. supplicat.

7 Et dato quod ex nuda signatura, literis etiam non expeditis, possessio beneficii peti, acquiri, & apprehendi posset, ut plerique putant, Lud. Gomef. ad d. regul. Cancell. de non iud. &c. q. 5. Iacobus Putem decis. 229 lib. 2. Carol. Ruinus cons. 63. Videndum est vol. 6. evidenter nihilominus apparet de impedimento, quod Emanuel sibi ipsi præbuit, per hoc, quod ne quidem ex dicta nuda signatura, seu signata supplicatione huiusmodi Apollonica provisionis, se ad possessionem admitti perierit, aliasque diligentias ad possessionis adeptionem fecerit, cum facere potuerit, & se potuisse manifestaverit per hoc, quod signatam suam supplicationem Capitulo S. Martini intromiserit. Nam quæ opera hanc intimationem fecit, eadem quoque & possessionem eodem tempore petere & adipisci poterat; quod cum non fecerit, deprehenditur per eum stetit, quo minùs fecerit, c. Cum dilecti vers. sed contra de dolo & contumacia: ita ut inde manifestè deprehendatur Emanuelem noluisse habere possessionem, & ob id ex eo tempore, quo cepit nolle adipisci, dicti duo præscripti menses illi currere debuerint. Et quamvis statim ad plenam fructuum perceptionem pervenire non potuerit, propter dictam reservationem; hoc tamen facere debuit, quod in eo erat, acceptare scilicet possessionem, qualem sine impedimento consequi poterat, saltem ad declarationem voluntatis, quod hunc posteriorem Canoniciatum sibi habere veller, faciendo ea, quæ sine ullo impedimento licebat, & sic eo facto in supenso retinere effectum vacationis præbendæ Antwerpensis, saltem tan-

tisper dum futurus esset in plena possessione posterioris huius Canoniciatus, cum percipiendi fructus potestate. Ita ut in proposito reditus queri posset non tam de vacatione Antwerpensis quàm de non acquisitione S. Martini Leodienfis. Cum alioqui Emanuel apprehendendo possessionem huius Canoniciatus S. Martini (uti secundum præmissa poterat) fructuum quoque emolumentum satis per representationem statim in primo anno acquirere poterat, per hoc quod per eam possessionis adeptionem lucraturus erat annum gratiæ, qui ex statuto & consuetudine Capituli cuiusque Canonici morientis domui mortuariæ deberetur; qui non deberetur nisi possessionem adepto & in residentia morienti, c. Suscepti de elect. in Extravag. Iohannis xxii. a. gid. Bellamera decis. 465. Ita ut in effectu novus præbendatus habeat fructus primi anni, per hoc quod ad hæredes suos seu suam domum mortuariam transmittat ius & beneficium anni gratiæ in compensationem carentiæ fructuum primi anni, l. qui actionem de reg. iur. * Proinde cum hoc respectu potuerit consequi plenam possessionem cum perceptione fructuum, & non sit consecutus, quia noluit, per eum stetit dici debet: cum ad hoc, ut per adeptionem possessionis inducatur vacatio prioris in terminis juris communis, & in proposito ex præscripta hæc forma, sufficiat aliquo tempore, in quo aliquibus diebus stetit quempiam in pacifica possessione, etiam si postea superveniat impedimentum in perceptione fructuum, gl. in v. pacificam in d. c. Commissaria, Gemm. d. cons. 78. n. 1. in fine.

Quæ proclivius in proposito dicti & sustineri posse videntur, quod post obteptam hanc provisionem Canoniciatus S. Martini, per reductionem civitatis Antwerpensis ad obedientiam Regiæ Catholicæ Majestatis, Emanueli iterum fuerit aperta via ad pacificam possessionem Canoniciatus Antwerpensis, & ad illam quoque ipse se contulerit, & sic in effectu cellaverit causa huius posterioris provisionis manifestè fundata in dicto Emanuels exilio & impedimento pacificæ plenæque possessionis Canoniciatus Antwerpensis; ad quem redeundo apertam fecit significationem se velle recedere à posteriore & succedanea hac provisione, & priori adherere; saltem aperte demonstravit, quod per eum stetit, quo minùs posterioris huius Canoniciatus possessionem, qualem poterat, adipisci noluerit: idcirco si non utriusque, saltem posterioris inducta & Iacobo impetrandi illam via aperta fuerit: meritoque ob id idem Iacobus suæ provisioni tamquam validæ & efficaci insistere & præstatum Emanuelem ab hoc Canoniciatu S. Martini arcere studeat.

De præbendis & dignitatibus.

S V M M A R I U M.

Incompatibilitas sub eodem tecto.

1. Beneficia duo nemini sub eodem tecto habere possunt.
2. Episcopus non dispensat super duobus beneficiis conformibus sub eodem tecto.
3. Beneficiato secundo sub eodem tecto impetrato vacante prius ipso iure.
4. Renunciare censetur liti super priore beneficio pendente, qui sub eodem tecto aliud acquirit.

CON-